



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm II. Nihil.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

tus, qui impedimentum tollere potest. *argumento l. Sed etsi. 26. §. At Prator. ff. Ex quibus causis maiores.* & alioquin excommunicatus ex propria iniquitate commodum ferret, quandoquidem id ordinarii Iuris est, ut qui intra tempus definitum agere intermit- tit, postea excludatur, seu contra eum excipi ac præscribi possit.

## CAPITVLVM II.

## Nihil.

## PARAPHRASIS.

S. Gregorius I. Papa ad Italicam Patriciam l. 2. Epistola 58. Regist. scribit, tamen si ipse jura quædam Ecclesiastica, concordie causâ, & ne tumultus, vel scandalum oriatur in iudicio, repetere intermiserit, imò etiam non se repetiturum promiserit, tamen per talem taciturnitatem, aut patientiam nolle se successoribus suis Pontificibus in rebus pauperum præiudicium aliquod generari.

## SUMMARYM.

1. *Prælati propter vitandum scandalum remittere potest aliquid de juribus Ecclesie, ita tamen ut nullum præiudicium, aut præscriptio in futurum oriatur.*
  2. *Taciturnitas & patientia Prælati non repetentis bona Ecclesie, non præiudicat successoribus, quo minus ipsi repetere possint.*
- Propter eam tamen, & Prælati negligentiam, concurrente bonâ fide, viâ præscriptionis jura Ecclesie amitti possunt.*

**NOT.** Vnic. Prælati propter vitandum scandalum quandoque aliquid de Juribus Ecclesiasticis, aut causarum piarum remittere potest, ita tamen ut in futurum nullum præiudicium, aut præscriptio oriatur, quamobrem protestari interdum debet, quòd eiusmodi remissionem liberè faciat, non ex obligatione.

Possumus etiam aliter colligere *ex text. c.* quòd taciturnitas & patientia Prælati non repetentis bona Ecclesiastica, vel ad causas

pias destinata, non præiudicat successoribus quo minus ipsi repetere possint, nam sicuti Prælati talia bona expressè dare non potest, ita nec tacitè per renunciationem præsumptam ex taciturnitate.

Interim non negamus, quin jura Ecclesie viâ præscriptionis amitti possint propter negligentiam & taciturnitatem Prælati, sed hoc fit concurrente bona fide, quæ oritur ex ignorantia, cum videlicet existimat is, qui præscribit, jus v. g. decimarum non ad Ecclesiam illam, sed ad se pertinere, vti docui. *l. 3. tr. 4. de just. c. 10. n. 6. in fine.*

## CAPITVLVM III.

## Sanctorum.

## PARAPHRASIS.

Si Ecclesia possessionem aliquam 30. annis pacificè & bona fide, quamvis siue titulo possedit, postea ei auferri non debet, si tamen denunciatio aut proclamatio synodalis ante cessit, ea præscriptionem interrumpt.

**NOT.** Vnicum. Jure antiquo Præscriptio in rebus immobilibus sine titulo, 30. annorum spatio contra Ecclesiam etiam perficiebatur, nunc verò 40. anni requiruntur, ut mox patebit.

## CAPITVLVM III.

## De Quarta.

## PARAPHRASIS.

Clericus contra Episcopum quartam decimarum & oblationum funeralium intra annos 40. præscribere potest, nisi interea Ecclesia Cathedralis caruerit pastore, qui jura Ecclesie exigere debuisset. Porro 30. annorum præscriptio, quæ olim in rebus immobilibus, ac juribus, tanquam ordinaria longissimi temporis statuta erat. *l. 3. C. de præscription. 30. vel 40. annorum à Romana Ecclesia non recipitur, si aduersus jura Ecclesiarum tendat.*